



## **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

IV. Quo ordine & processu in mente diuina peragatur reprobatio, siue ipsos  
actus eius inter se, sine eam cum prædestinatione conferamus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

perius recitas aliquo sensu verum dixisse. Nam prima vera est de reprobatione negatiua, seu de reprobatione adequate accepta, in ordine ad omnes suos effectus collectiuem: secunda de reprobatione stricte ac propriè loquitur; eamque distinctionem vocis reprobationis tertia clarius exponit; vi etiam à nobis factum est.

38 Colligitur secundò, quodnam sit discriminēt reprobationem & prædestinationem, quo ad causas virtusque ex parte reprobi. Prædestination enim secundum virtutem suum effectum, & gratia, & gloria, etiam proprie accepta, nō habet causam ex parte reprobi: quia id quod in ipso prædestinato est causa gratia vel gloria, est etiam effectus prædestinationis: at vero peccatum, quod est causa damnationis nostrae, non est à Deo, nec adeo est effectus reprobationis: quo fit, ut reprobatio positiva ab eadem gratia congrua & gloria habeat causam ex parte reprobi demeritum & peccatum ipsius. Et iure quidem, quia cum Deus sit infinita bonitas, recte quidem ex se ipso destinat ad gloriam congruam & gloriam, nulla data causa ex parte homini; ut ita misericordia eius præueniat nos; at vero ex se ipso neminem repellit, & velut indignum à gratia aut gloria positiū excludit; ne prius ille nos damnare, quam nos illum offendere dicamus; licet in hoc sit par ratio virtusque, quod nec electionis, nec non electionis ad primam gloriam congruam vila detur causa ex parte reprobi, ut dictum. Qui vero hac de realiter loquuntur, ex dictis reselluntur.

#### D V B I V M I V.

*Quo ordine ac processu, in mente diuina, fiat reprobatio; siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus.*

S. Thom. I. p. q. 23. a. 3.

**A**nquam ordinem actuum ipsius reprobationis constituamus, supponendum prius, quinā sint, & quam variū actus ipsius reprobationis. Et quidem Molina q. 23. art. 5. disp. 3. tres actus diuinæ voluntatis ad reprobationem spectantes recenset; ut primus sit voluntas permittendi ea peccata, propter quæ ille damnabitur; cuius effectus est permissione eorumdem peccatorum; secundus actus sit voluntas obdurandi peccatorum in iisdem peccatis; cuius effectus est obdurate; tertius est voluntas eundem damnandi; cuius effectus est aeterna damnatio. Ut fuitus retulimus supra dub. 2. a. s. l. 3.

Ceterum hæc partitio seu enumeratio actuum reprobationis non omni ex parte probatur: non solum quia reprobatio formaliter ad intellectum, non ad voluntatem pertinet, ex dictis dub. 1. sed etiam ob alias causas. Primo quia partitio illa non est sufficiens & adequata; omittit enim reprobationem negatiuam à gloria, seu voluntatem simplicem non præligendi ad gloriam; idque ideo, quia cum non agnoscat prædefinitionem ad gloriam ante prævia merita seu media, consequenter negat reprobationem negatiuam à gloria simul in eo instanti factam, ut dictum dub. 1. Deinde non satis idonee distin-

guit actus reprobationis, in ordine ad negationem gratia congrua, seu permissionem peccati; nec obdurationem recte vniuersim condistinguit contra permissionem peccatorum, quam primo actui tribuit: quia obdurate prout est effectus reprobationis positiva à gratia, non solum respicit derelictionem in peccatis præteritis, sed etiam permissionem peccatorum subsequentium in poenam peccati præteriti; qua ratione dicuntur homines dati à Deo in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conueniunt. &c. & ut quin iordibus est, sordescat adhuc, iuxta dicta dub. 2. Rectius ergo pro primo actu constituisse primam permissionem peccati, ob quod reprobus est damnandus: secundum, indurationem in eodem, seu etiam permissionem nouorum peccatorum in poenam præcedentis peccati; tertium reiectionem à gloria, sive voluntatem damnandi.

Nos vero suppositis iis, quæ de vario reprobationis modo & effectibus diximus supra dub. 1. & 2. quatuorad præfens institutum actus, aut quasi actus reprobationis distinguimus. Primus est, reprobatio negatiua à prima gratia congrua, præseruante hominem à primo peccato, ob quod damnabitur; quæ formaliter nihil aliud est, quæ negatio seu omissione electionis seu prædestinationis ad eandem gratiam congruam: quod consequenter spectat etiam voluntas non prædestinata ad eandem primam gratiam congruam; secundus est reprobatio positiva ab eadem gratia congrua non prima, seu præseruante à primo peccato, ob quod reprobus damnabitur: sed à gratia congrua liberante ab eodem peccato, seu præseruante à posterioribus peccatis, ob indignitatem reprobi, contraria ex peccato præcedenti; tertius est reprobatio negatiua à gloria; quæ formaliter est nō præelectio, seu non prædestination ad gloriam; quo spectat etiam voluntas non præligendi ad gloriam; quartus est reprobatio politicia à gloria, quod spectat absoluta voluntas excludendi à gloria, & damnatio aeterna.

Sed & præter hos actus iam recensitos, quib. essentia literiter peragitur reprobatio, pertinet et aliquid modo ad reprobationem scientia visionis, seu præscientia absoluta de peccatis reprobi futuris, & ad finem, usq; vita seu via permanfuris; qui actus qua ratione inter se habeant, dubium est. De quare non minus varia sunt Doctorum sententiae, quam in preced. dubitatione fuerunt adducta, cum haec ab eius resolutione pendeat.

Primo enim qui seuerius hac de re sentiunt, docent, Deum eundem ordinem seruasse cum reprobis, quæ cum electis; adeoq; in eodē signo rationis, in quo is quosdam efficaciter elegit ad gloriam, voluntate & decreuisse absolute ac simpliciter, ut alii non consequentur gloriam. Quare sentiunt, in ipsa est reprobatione negatiua à gloria, includi absolutam reiectionem seu exclusionem à gloria. Tribuitur Durando in 1. dist. 40. q. 2. n. 6. ubi hoc non reperitur, sed in 1. d. 41. q. 1. n. 6. & propeder Corduba lib. 1. q. 5. notat. 5. opin. 5 & quidam alii recentiores apud Suarez lib. 5. c. 3. n. 1. Alii hoc restringunt ad quosdam solū reprobos. Alii dicunt, saltem post præsumum peccatum originale, Deum non habuisse erga omnes reprobos simplicem voluntatem, seu complacentiam, qua ipsos salvos esse vellet, sed potius erga nonnullos contraria, qua ipsos vellet eiectos à regno, propter peccatum à

primo parente commissum, vel ab eis etiam contratum, et si nondum praevisum esset a Deo in ipsis finaliter perseverarum. Sed horum omnium sententia satis refellitur ex dictis dub. preced. assert. 4.

Secundò igitur ex iis, qui moderatius sentiuntur, Scotus in 1.d. 41. q. 1. hunc ordinè in reprobando & predestinatione hominib[us] assignat: In primo instanti, Deus nondum praevisit meritis vel demeritis, voluit Petrum V.G. beare, circa Iudam verò negatiū se habuit: in secundo vocare statuit Petru[m], & gratiam suā congruam illi dare; at circa Iudam eodem modo negatiū se habuit: in tertio præfinuit permittere, ut Iudas laberetur in peccatu, in eoq[ue] perseveraret usq[ue] ad finem vitæ; quod sumul est ex vi illarum durarū negationum futurum preuidit; in quarto prævidens Deus vtriusq[ue] exitum, decreuit Petro dare gloriam, & Iudam aeterno suppicio punire. Eandem Scoti sententiam tuerunt Suarez hic lib. 1.c. 8. & 12. & l. 5.c. 4.n. 9. Bellarmine lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 1. 5. & pleriq[ue] ex illis, qui predestinationē ad gloriam factam docent ante prævisionē meritorū. Conuenit autem sententia cum precedenti; quod reprobationem negatiū a gloria factam docet ante prævisionē meritorum, & simul etiam ante reprobationem negatiū a gratia.

Illiverò, qui predestinationem ad gloriam factam esse docent post prævisionem meritorū seu medium, non solū in eo a Scoto, & aliis pro dubiis precedentibus sententias relatis, dissentunt, quod reprobationem a gloria absolute & omni modo posteriore faciunt reprobationē a gratia congrua; non agnoscentes scilicet reprobationem negatiū a gloria, quę sit prior reprobationē a gratia; sed consequenter est utrumq[ue] ordinē actuū antea relatum impobrant: pro quo alium ipsi in hunc modū constituunt, ut videre est apud Vasquez disp. 91.c. 2. In primo instanti Deus vtrisq[ue], tam reprobis quam saluandis, affectu simplicis cōplacientiæ, desideravit beatitudinem: quod ad actum verò efficacē voluntatis negatiū se habuit erga reprobos (adde iuxta hanc sententiam, etiā erga saluandos.) In secundo instanti positivè voluit permittere peccatum, adeoq[ue] negare gratiam congruam reprobis; aliis verò cā dare. In tertio præuidit peccata ad finem vitæ perseveratuta in reprobis, in aliis perseveratuta gratiam. In quarto voluit his dare beatitudinem, illos ab ea excludere: & damnare. Improbatiam Vasquez, circa Scori opinionem speciatim, quod in primo & secundo instanti Deus solum negatiū erga reprobos se habuisse dicitur. Sed vt bene aduertit Suarez lib. 5. cap. 4.n. 5. Scotus in eo primo & secundo instanti non exclusit actum simplicis cōplacientiæ, nec actum seu voluntatem quasi reflexā, non eligendi illos ad gratiam vel gloriam: sed actum voluntatis efficacem, ut superius dub. 1. diximus.

Omitto etiam seriem illam instantium, à nonnullis recentioribus traditam, & superius q. 6. dub. 10. relatam, in qua tam prædestinatione ad primam gratiā congruam, quā reiectio ab eadem, solo Dei arbitratu facta, penitus tacetur & prætermittitur; ne videlicet in ea serie quicquam constitutatur, unde fateri necesse sit, primum principia ac fonte totius prædestinationis ac salutis nostræ, in solo Dei arbitratu, ante omnē meritorum seu cooperationis nostræ prævisionem, constituendum esse; cum tamē negari minimè possit, primam eiusmodi gratiam congruam Deum,

& predestinare, & denegare quibus vult, solo suo arbitratu, ut ex communī & certa ostensione est assert. 1. dub. preced. & supra q. 6. dub. 1. Vnde ē constat, ab ea gratia congrua totius nostræ salutis summa & originem primariō & infallibiliter pendere, cuius prouinde in hac instantiā serie cumprimis habenda erat ratio; ut plane constaret, quo ordine ac processu salutis nostræ procuratio, vel etiam reiectio ab eadem, in diuina mente perageretur.

Omitto deniq[ue] etiam eorum sententiam, qui ut nullum ordinem inter predestinationem ad gratiam & gloriam, & meritorum prævisionem constituant, ita si consequenter loqui velint, etiam nullam instantiā seriā inter reprobationem a gratia & gloria & præscientiam demeritorum constituere possunt, quos superius q. 6. dub. 2. refutauimus.

Iam verò ut iuxta nostram præcedentibus dubiis explicatam certi aliquid statuamus, haec velut principia ex dictis supponimus: I. Voluntatem ab voluntate reiciendi, excludendi, reprobandi a gloria, seu non conferendi gloriam, supponere præscientiam peccatorum, ad finem vlt. vitæ perseverantur; ut etiam Gregorius de Valencia, Molina, Suarez, Vasquez, & omnes quos noui, Societatis nostræ Doctores sententias, contra priuam sententiam, ex dictis dub. preced. assert. 4.

II. Voluntatē quoq[ue] obduraudi in peccato perpetrato, supponere præscientiam eiusdem peccati, non quidē ut ad finem usq[ue] vita perseueratur; hanc enim permanētia requirit & sequitur obduracionem velut conditionem sine qua non; sed ut si impliciter futuri: quod ex communī recte etiam tradidit Molina q. 23. a 5. disp. 3. & constat ex dictis dub. preced. assert. 5.

III. Voluntatem permittingi primum peccatum reprobri, ob quod damnabitur, non supponere scientiam absolutam vilius peccatis futuri, sed solum conditionatam: secus est, si loquamur de voluntate permittingi consequentiā peccata, quę in pœnam non nunquam peccati præteriti permittingunt, iuxta Scripturam Exod. 7. & Rom. 1. ex dictis dub. preced. assert. 1. & 5.

IV. Si de nuda omissione electionis ad gloriam, vel etiam de voluntate non eligendi ad gloriam, aut non conferendi priuam gratiam, seu quod idem est, de reiectione ab eadem prima gratia cōgrua loquamur, eam factam esse autem præscientiam absolutam peccati, adeoq[ue] sine culpa ipsius reprobri eius enim nulla datur causa ex parte reprobri, ut dictum dub. preced. assert. 1. ex certa & communī.

V. Reprobationem negatiū a gloria, secundū rationem, priorem esse reiectione a prima gratia cōgrua; è contrario reprobationem positiuam a gloria esse posteriorē reiectione a gratia. Vtrumq[ue] constat ex dictis dub. 1. & 3. Quia reprobatio negatiū a gloria facta est in eodem instanti, in quo facta est prædestinatione ad gloriam; reiectio itē a gratia congrua facta est in eod. instanti, in quo alii electi sunt ad gratiā cōgruam, ut dictū dub. 1. at verò prædestinatione ad gloriam facta est ante prædestinationē gratia & meritorū, ex dictis supra q. 6. dub. 4. Ergo & non electio ad gloriam facta est ante non electionem seu reiectiōnem a gratia congrua. E contrario verò reprobatio positiua a gloria, facta est post prævisionē peccatorū finaliter permanētorum, prævisio autē, vti & futuritio ipsius-

ius.

censimodi peccatorum, ob quæ reprobis damnatur; facta est primum post reiectionem à gratia congrua; cum peccata illa hanc reiectionem velut conditio-  
nem supponant; si enim reprobis non fuissent reiecti  
à gratia congrua, non contraxisserent peccatum, aut  
saltem non permanissem in peccato, ob quod da-  
mnabuntur. Ergo reprobatio positiva à gloria ra-  
tione posterior est reprobatione se reiectione à gra-  
tia congrua.

10 VI. Prædestinationem proinde tum ad gratiam congruam, tum ad gloriam, priorem fuisse in men-  
te diuina, positivam reprobatione, tum ab eadem gra-  
tia, tum à gloria: Dereprobatione à gloria constat.  
De reprobatione positiva à gratia congrua patet ex dictis: quia haec facta est in poenam peccati, adeo-  
que post præmissionem peccati, ad quod vindican-  
dum Deus reprobum voluit obdurare: prædestina-  
tio autem ad gratiam congruam, vt & reprobatio  
negativa ab eadem, facta est ante præmissionem me-  
ritorum aut demeritorum, vt antea dictum. Atque  
hoc sensu rectè absolute cum alijs docent Vorilong  
in 1. d. 4. 1. a. 2. & Ekius cent. 4. num. 87. in diuina-  
mente prædestinationem fuisse priorem reprobatione.

11 Ex quibus denique totum negotium in prædesti-  
nandis & reprobandis hominibus, sic ordinari de-  
bet. In primo instanti, Deus omnibus tam reprobis  
quam saluandis voluntate simplicis complacentia;  
his vero etiam actu efficaci voluit gloriam: circa re-  
probos autem quoad eiusmodi actum negativum se-  
habuit; licet simul eam ipsam negationem volendo,  
voluerit eos non eligere ad gloriam. Secundò effica-  
citer voluit electis gratiam congruam, & media salu-  
tis æternæ ipsa profutura: circa reprobos vero ei-  
usmodi actum non habuit, volens potius ipsius non  
conferre gratiam congruam, sed eam quam solum  
foe sufficientem per scientiam medium cognoverat;  
qua ratione simul etiam voluit permettere peccata  
reproborum. Tertiò vidit scientia visionis malos sua  
culpa non cooperaturos gratia destinata; sed quo-  
uis modo peccatum contrastruxit, cumque eo fina-  
liter deceperit, contrarium præuidit de electis, ni-  
mirum aut non peccaturos, aut certe in eo non fina-  
liter perseueraturos. Quartò voluit Deus reprobos  
punire, ob eiusmodi peccata præuisa, in hac quidem  
vita, si peccator adulterus esset, derelictione, & quan-  
doque aliorum peccatorum permissione, qua in re-  
probum sensum dati, à suo fine magis alieni futuri  
essent; post hanc autem vitam, æterna poena, seu da-  
mani & sensus simul, si peccata essent personalia; siue  
dagni solius, si originale tantum: quoad electos au-  
tem supposita præmissione perseverantæ corundem,  
locum hic habet voluntas executiva, ipsa confe-  
rendi ei primum vita æternæ, ob præuisa merita  
seu præuisam perseverantia, ut dictum q. 5. dub.  
10. Atque a signatus hic ordo nec Angelos quidem  
excludet, si in quarto instanti poena huius vita se-  
cludantur: cum Angeli statim post primum pecca-  
tum fuerint in termino, & poena æternæ addicci.

12 Cæterum contra hanc doctrinam obiectur, re-  
probationem negativam à gloria, & equipollere re-  
probationi positivæ seu absolute reiectioni à gloria:  
Ergo si illa facta est in primo instanti, ante præuisa  
merita, idem etiam de hoc dicendum erit.

Antecedens probatur I. quia prædestinatione illa à  
Deo in primo instanti facta est, vt impleatur mensu-  
ra illa certa prædestinatōrum, quam exigit propor-  
tio, quam habere numerus ille debet cum vniuerso,  
ex dictis cum S. Thoma q. 6. dub. 2. Ergo cum in eo  
instanti impletus sit numerus, non erit locus præde-  
stinationis aliorum, vt in Architectonica circalapi-  
des; & in coniuio nuptiali, designatis hospitibus  
iam replete accedit.

13 II. Deus ex vi illius prædestinationis in primo  
instanti facta, certus est, neminem reliquorum fore  
saluandum; Ergo ceteri ex vi huius decreti, seu omis-  
sione prædestinationis, absoluē sunt exclusi.

III. Ex vi illius præelectionis in primo instanti  
facta prouenit, vt Deus circa omnes alios velit se ha-  
bere negatiū, & non dare illis gratiam congruam,  
nec præfiri illis perseverantiam: Ergo in illa elec-  
tione erga aliquos, & omissione erga ceteros, hi  
absolute censentur exclusi.

IV. Negativa illa reprobatio æquipollit quo-  
dammodo tali diuinæ voluntatis decreto: Volo an-  
tecedente mea voluntate, plerosque hominum, non  
præuisi vilius peccato, non admittere ad gloriam,  
& supernaturalem beatitudinem: id quod parum  
videtur differre à Calvinianorum decreto, quo Deo  
negatur vniuersalis erga omnes saluandos, & seria  
voluntas, & reprobis consequendi salutem facultas,  
libertalique arbitrii.

V. Deus in primo illo instanti voluit omnes salu-  
andos prædestinare: Ergo qui in illo instanti non  
sunt prædestinati, non saluantur; ac proinde iam  
sunt absolute exclusi. Quæ argumenta quamuis etiam  
aduersus prædestinationem ad gloriam ante  
præuisa merita, & vniuersim adeo etiam contra re-  
probationem negativam à gloria à nonnullis ob-  
iecta sint, tamen commodè hoc loco iam expicata  
reprobatione negativa, eiusque causis, & ordinis,  
dissoluuntur.

14 Respondeo igitur ad argumentum, negando  
antecedens. Ad primam probationem responde-  
tur: proportionem illam numeri electorum non  
consistere in indubiblē, sed habere latitudinem,  
ex dictis supra quæst. 6. dub. 2. Idem dico de men-  
sura coelestis ædificij, & numero nuptialis conui-  
uij: ad quæ tametsi quidam ab initio præ alijs fue-  
rint præelecti, restat tamen facultas tam ex parte  
Dei, & magis illius Architechi, quam ex parte i-  
psius loci, seu palatij & triclinij, quosdam etiam  
alios præterea adiiciendi, si accedere non renuant.  
Aliud est, quando inter homines ipsius ædificij,  
aut conuiuij destinati ratio non patitur, plures  
adiici, præter eos lapides, aut conuiuas, qui gra-  
tis & ab initio à Magistro virtuusque fuerunt præ-  
electi, vt dictum etiam supra quæst. 5. dub. 5. ad  
obiect. 1.

15 Ad II. probationem negatur antecedens; nam ex  
sola illa præelectione certus non est Deus, annon-  
plures sint accessori: ea enim non obstante, etiam in  
seniū composto, plures accedere possunt, si ad finem  
cooperari gratia oblatæ velint, vt possunt; quo facto  
paratus est Deus, etiam stante priore prædestinatio-  
nis decreto, istos etiam insuper prædestinare ad glo-  
riam; vt dictum q. 6. dub. 4. & supra dub. 1. Dices:  
Deus saltem perscientiam medium cognovit, si illos

in primo instanti prædestinaret, cæteros non fore saluos; sicuti cognovit, cæteros non fore saluos, si in eo instanti, in quo Deus aliquos prælegit ad gratiam congruam, illos præteriret. Ergo saltem ex vi illius primæ prædestinationis, accedente scientia media, certus est Deus, neminem reliquum fore salvandum. Respondeo negando antecedens. Nam præelectio aliorum ad gloriam, nihil facit ad exclusionem aliorum ab eadem gloria, sicut præelectio aliorum ad gratiam congruam, facit consequenter saltem ad exclusionem aliorum ab eadem gratia congrua.

Ratio diuersitatis est. Quia Deus habet duplum facultatem prædestinandi ad gloriam, unam ante præuisiōē meritorum; alteram post præuisiā merita; quorum illa huic nihil derogat, ut dictum cit. quæst. 6. dub. 4. at verò non habet duplum facultatem prædestinandi ad primam gratiam congruam, unam ante præuisiā merita, alteram post præuisiōē meritorum; quia impossibile est, primam gratiam dari aut prædestinari ex meritis; si enim ex meritis, iam non esset gratia; proinde non electio gratuita ad gratiam congruam inuoluit absolutam reiectionem ab eadem gratia congrua; secus est de non prædestinatione gratuita ad gloriam, seu de reprobatione negativa à gloria, ut fuius dictum supra dub. 1. Vbi etiam notandum, Deus non habere præscientiam medianam omnium futurorum contingentium sub conditione, si conditio disparata sit, nisi conditio illa accipiat ad æquatè & secundum omnes conditions, cum quibus futurum re ipsa conexum est; ut dictum disp. 2. q. 8. dub. 5. qualis conditio in proposito etiam est, quod Deus neminem sit prædestinatus in aliquo signo posteriori; que tamen conditio hoc ipso quod posterior est, & à signis posterioribus dependens, in primo signo impleta dicinon potest.

Ad III. probationem respondeo, negando antecedens: quia etiam stante præelectione aliorum ad gloriam, Deus aequè potest etiam cæteris velle gratiam congruam in posteriori instanti: hoc solum discrimini est inter vitroque, quod illis ex vi ipsius primæ præelectionis quodammodo debet gratiam congruam, velut unicum medium necessarium ad consequendum finem efficaciter in priori instanti intentum; his autem, ex vi quidem præcedentis eiusmodi electionis & intentionis, non debet; at potest tamen etiam, si velit, destinare gratiam congruam; sicut aduersarij dicunt, omnem gratiam congruam re ipsa esse destinatam, ante efficacem voluntatem conferendi gloriam.

Ad IV. probationem negatur itidem antecedens, non enim æquipollit negativa illa reprobatio decreto illi, quod in argumento obiicitur, sed solum huic: Volo antecedente mea voluntate plerosque hominum, non præviso nullius peccato, non præeligerem ad gloriam; seu non destinare in hoc ipso quidem primo instanti ad gloriam; manente tamen facultate & voluntate saltem implicita prædestinandi etiam plures, in posteriori aliquo instanti, ex præuisiis meritis, si ipsi sibi non essent impedimento: præelectio enim illa gratuita aliorum non tollit, aut impedit facultatem aut voluntatem etiam prædestinandi alios ex præuisiis me-

ritis, si qui merita eiusmodi adferrent, ut sèpius dictum.

Ad V. respondetur, propositionem illam, Deus voluit in primo illo instanti omnes salvandos prædestinare; duplum intelligi posse, primò cum præcisione; secundò cum exclusione aliorum. Prior modo sensus est, Deus voluit in eo instanti signatim omnes & singulos istos, qui modò salvantur, prædestinare; non habendo tamen voluntatem absolute excludendi alios, qua nimurum absolute nollet etiam in sequenti instanti aliquos prædestinare, sicut gratia deceſſi prævidenter. Et hoc sensu concessio antecedenti, falsa est consequentia, ut patet. Posterior modo hic sensus redditur, Deus voluit in primo instanti omnes salvandos prædestinare; ita ut absolute nollet quenquam etiam in illo posteriore instanti prædestinare, quicquid tandem ipse esset facturus. Et hoc sensu falso est antecedens, ex dictis: quia non obstante prædestinatione in primo instanti, Deus habuit facultatem & voluntatem conditionatam, etiam prædestinandi alios, si in gratia decederent.

Dices. Attamen voluntate illa aliquos præligendi supposita, infallibiliter futurum est, ut nulli alii salvantur. Respondeo negando etiam hoc assumptum: nam ex suppositione sola illius præelectionis, hoc non sequitur, sed ex eo, quod ex reuelatione didicimus, eos qui modo salvantur, ex gratiâ prædestinatione & præelectione salvari: reuelatio autem hæc posterior est illa præelectione; & præterea supponit futuritionem reuelatae rei: proinde ex nulla sententia impedit, quod minus supposito præcisè primi instantis decreto, etiam alij possint salvari; seu quod minus etiam in sensu composito salvatio aliorum coiungatur non quidem cum ipsa reuelatione, sed cum prima illa voluntate præligendi alios, quandoquidem cum hac simul stare potest voluntas posterior, alios prædestinandi, ex præuisiis meritis, ut sèpius dictum.

#### D B I V M V.

*An & quomodo reprobatio sit certa; & simul cum libertate arbitry consentiens.*

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. & 7.

Affertio I. Certa & infallibilis est reprobatio, certusque reprobatorum numerus, non minus quam prædestinotorum: non tamen ex simili præfinitione Dei, sed potius ex præscientia. Ita S. Thomas hic q. 27. a. 7. vbi ait: *Certus est Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis.* Non sic autem omnino est de numero reprobatorum, qui videntur esse præordinati à Deo, in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. Consentient huic doctrina communiter alij Doctores cum Magistro in 1. d. 41. Ratio primæ partis est: quia scientia & voluntas Dei efficax, est certa & infallibilis: reprobatio autem ad scientiam & voluntatem Dei efficacem pertinet ex dub. 1. Secunda pars patet: quia Deus habet certam & deter-